Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TINCTVRA ANTIMONII TARTARISATA

QVAM

IVSSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

VMMOS IN MEDICINA HONORES

LEGITIME CAPESSENDI

EXAMINI PVBLICO

SISTIT

AD D. XVI. MARTII CIↃIↃCCXXVIII.

H. L. Q. C.

CHRISTOPHORVS ALBERTVS

MAYER

VLMENSIS.

ALTORFII NORIMBERGENSIVM

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3077665x

INCLVTAE AC LIBERAE S. R. I.

REIPVBLICAE VLMENSIS

SENATVI VNIVERSO

PATRVM CONSCRIPTORVM ORDINI

SPLENDIDIDISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS MAGNIFICIS MAXIME STRENVIS PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS DOMINIS

DOMINIS

DVVMVIRIS EMINENTISSIMIS

CONSVLIBVS SVMME MERITIS

RELIQVISQVE INCLVTI CORPORIS

MEMBRIS LONGE AMPLISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

GENTILITIARVM IMAGINVM ANTIQVITATE

AETERNIS IN PATRIAM MERITIS

PROPENSISSIMA IN BONAS LITERAS VOLVNTATE

FVLGENTISSIMIS MAXIME CONSPICVIS

CELEBRATISSIMIS

DOMINIS MEIS PERQVAM GRATIOSIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
MEDICAM
IN PERPETVAM DEMISSAE VENERATIONIS
ET OBSEQVII HVMILLIMI
SIGNIFICATIONEM

D. D. D.

VITAM SALVTEM GLORIAM
FELICEM OMNIGENAM ET PERENNEM
PRECATVS

ME ET MEA SI QVAE SVNT STVDIA
SVBMISSE COMMENDO

TANTORVM NOMINVM

SVBIECTISSIMVS CLIENS ET CIVIS

CHRISTOPHORVS ALBERTVS MAYER.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
TINCTVRA ANTIMONII TARTARISATA.

PROOEMIVM.

Haud parum refert in medicina facienda, ſi quis medicamentorum, quibus, ceu armis, aduerſus morbos depugnare debet, cognitionem exquiſitam ſibi comparauerit, vt non ſolum effectus ab experientia cognitos accurate norit, verum etiam in principia eorum conſtitutiua, a quibus, tamquam cauſis, effectus pendent, tam alte inquirat, quam arti chemiae ſubſidiis inſtructae conceditur. Longus quidem, fateor, eſt labor, cui vix longaeui et otio optatiſſimo fruentis hominis aetas ſufficere poſſe videtur: attamen quum idem iucunditate ſua laboris toedia large compenſet, vtilitatem autem tantam afferat, vt vel toedioſiſſimae operae pretium faciat: aequum ſane eſt hunc laborem, publici priuatique commodi cauſa, minime ſubterfugere. Fecerunt hoc magna ſua laude, et publici non minori bono, excellentiſſimi viri, ſuaeque induſtriae fructus cum publico absque inuidia communicauerunt: quibus merito magnae ab omnibus habentur

gratiae. Horum exemplo incitatus, etſi imparibus viribus, examinandam mihi ſumſi elegantiſſimam illam medicinam, quae in officinis titulo Tincturae Antimonii tartariſatae *proſtat, et ab optimis medicis non parum commendatur. Supereſt, Beneuole Lector, vt TE in limine rogem, velis primos conatus venia potius dignari, quam acerba cenſura perſtringere, ſicubi vel defeciſſe me, vel a vero aberraſſe, deprehenderis.*

§. I.

NOn ſolum conſuetudo poſtulat, vt omnis orationis initium a definitione aut deſcriptione fiat; verum etiam vtilitas inſignis in lectorem inde proficiſcitur, ſi mox in limine admonitus intelligat, quid ſit, de quo loquamur. Quo magis neceſſarium mihi videtur, eandem ſiue conſuetudinem, ſiue methodi regulam, ſequi, quo plura ſunt, quae de nomine quaeri poſſunt. Voco igitur Tincturam antimonii tartariſatam medicamentum officinale liquidum, fragrans, rubineam aut paulo ſaturatiorem rubedinem habens, et ſaporem ſpirituoſum alcalinis particulis ita exaltatum, vt vehementi acrimonia deguſtantis linguam adurendo mordeat, paratum ex antimonio crudo, cum ſale tartari vel alio alcalino, forti igne colliquato, deinceps ſpiritu vini rectificatiſſimo affuſo, blandoque calore digeſtis. Hac breui deſcriptione tradita excludimus valde multas alias antimonii tincturas, paſſim apud auctores chemicos et pharmaceuticos deſcriptas: de quibus eosdem adire et conſulere ſuademus.

§. II. Tin-

§. II.

Tincturae nomen non vno modo apud chemicos ſcriptores adhiberi, notant auctores noſtri: de quo videatur *Caſtello-Brunonianum Lexicon medicum* in voce *Tinctura.* Dubium non eſt noſtro medicamento illud impoſitum eſſe ea intentione, vt denotet extractum liquidum coloratum, ab antimonio ſeparatum, et connubio particularum alcalinarum amico iunctum. An vero iure id factum ſit, vel abuſiue fiat, deinceps commodius quaeremus, vbi ſimul auctorum praeſtantisſimorum haud omnino conſonas ſententias exhibebimus. Nunc ante omnia de eiusdem praeparatione diſpiciemus.

§. III.

Eam auctores *pharmacopoeae Auguſtanae* et *Argentoratenſis*, vt et *diſpenſatoriorum Brandenburgici* et *Ratisbonenſis*, nec non D. D. ROTHIVS in *manuductione ad chemiam pag. 167.* ſatis inter ſe conuenientem tradunt, quamuis, vt et hoc in limine annotemus, nominibus diſcrepent. Nam DD. Auguſtani *tincturam antimonii* ſimpliciter promittunt, hosque ſequuti DD. Ratisbonenſes *tincturam antimonii ſimplicem* inſcribunt. D. D. Berolinenſes et Argentoratenſes *tartariſatae* epitheton addunt: *ſimplicis* autem et *acris* nomen illi quidem imponunt huic tincturae, quam ex ſcoriis ſuccineis reguli martialis cum nitro fuſi impetramus, (quam Ratisbonenſes tincturam antimonii martialis regulinam vocant) hi vero, puta Argentoratenſes, vtramque hanc tincturam pro vno eodemque haberi poſſe haud obſcure ſignificant, quando ſcribunt: *communiſſime nunc paratur ex ſcoriis reguli antimonii, cum ſpiritu vini rectificatiſſimo extrahendo tincturam.* His praeiuiſſe videtur B. D. D. IO. MAVR. HOFFMANNVS, qui chemiam in Altorfinam academiam introduxit, *Act. laborat. chem. pag. 92. proceſſ. XII.*

§. IIII.

Sumuntur autem, ex præſcripto laudatorum auctorum, antimonii crudi, in puluerem comminuti, pars vna, ſalis vero tartari, partes duae; mixta haec crucibulo candenti ingeruntur, forti igne liquantur, vt tenuiſſime fluant et in ſcorias flaueſcentes abeant. Tum effuſa in mortarium ferreum calefactum maſſa, quam primum induruit, comminuitur, puluisque adhuc calens phiolae etiam calefactae immittitur, mox affuſo ſpiritu vini, antequam ex aëre humiditatem puluis hic attrahat. Hoc facto digeſtioni in arena permittitur, ſubminiſtrato per aliquot horas eo ignis gradu vt ſpiritus leniter cum puluere bulliat.

§. V.

Quam celerrime in puluerem comminui hanc maſſam adhuc calentem debere omnes auctores vno ore praecipiunt, (praeter Le Mort *in collect. chym. Leidenſibus*, qui refrigeratam demum materiam pulueriſare iubet) quam vero id toediosſum ſit, experti omnes norunt. Quare non ingratam philo-chemicis et pharmacopoeis rem facturum me exiſtimaui, ſi cum illis communicarem enchireſin longe facillimam, qua ſatis magna moles breuiſſimo tempore, quantum ſatis eſt, comminuitur. Infundatur maſſa, vt dictum eſt, mortario ferreo, et ſit ad manus ſpathula ferrea longo manubrio praedita, hacque materiam indureſcere occipientem agita, ſaepius et celerrime deſuper ſpathulam immittendo et ſubinde quaſi rotando. Ita fiet vt maſſa concreſcere incipiens, ſed adhuc mollis et facile disiungenda, in grumulos infinitos abeat, qui, ſi nondum ſint ſatis exigui, calefacto piſtillo vlterius facile comminuentur. Forte etiam applicari hic poterit illa enchireſis, qua plumbum in puluerem redigitur, liquatum ſcilicet pyxidi rotundae ligneae infundendo et celerrima manuum agitatione hinc inde concutiendo,

tiendo, donec omnia refrigeſcant: ſed periculum eius facere nondum licuit.

§. VI.

Paulo diuerſum modum tenet ſollertiſſimus Gallorum chemicus NICOL. LEMERY: is enim in *Curſ. chem. p. 366.* tincturam antimonii paraturo ſuadet ſalis tartari octo unciis, in crucibulo iam liquatis, ſucceſſiue ingerere antimonii ſex vncias: adeoque ſalis quantitatem tertia parte minorem, quam ceteri auctores, praeſcribit. Hoc vero parcior in ſale tartari addendo fuit B. D. D. J. MAVR. HOFFMANNVS, quippe qui omnino aequale antimonio pondus adiecit, vt apparet ex *Act. Lab. chem. l. c.* videturque ſequutus eſſe *Collectanea chym. Leidenſia.* VIGANVS etiam in *medulla chemiae p. m. 18.* tincturam antimonii parare ſuadet, regulum cum ſale tartari per triduum in furno vitrario fundendo, et rubicundae maſſae, quae ſupereſt, ſpiritum vini affundendo: ex quo proceſſu annon ille noſtris hodie vſitatus emanauerit, cogitandum & diiudicandum aliis relinquo.

§. VII.

Qualis euadat ſpiritus vini rectificatiſſimus maſſae ex antimonio et ſale tartari colliquatis ortae affuſus, iam in deſcriptione attigimus. Senſuum ſcilicet beneficio diſcimus, quando odoratu exploramus, vini odorem ſpirituoſum nares blande ferientem et aliquid ambratum ſecum ferentem, qui ambratus odor magis ſentitur in ſpiritu abſtracto, aut inter digerendum ex alembico deſtillante; quem eſſentiae ambrae parandae conuenientiſſimum eſſe menſtruum experiendo cognoui. Guſtu explorata tinctura ſincera acredinem ſpiculorum ſalinorum cauſticam linguae adeo imprimit, vt ſeparationem tunicae ſuperficiem internam buccarum et labiorum cingentis, ſaepe etiam linguae, poſt ſe trahat: interim non ceſſante perceptione ſpirituoſi vehiculi. Viſum delectat pulcra rubedo pellucida, aliquando rubini

aemu-

aemula, ſaepe ſaturatior et ad hyacinthinum accedens. Verum accidit nonnumquam vt color voto praeparantium minime reſpondeat, et aliquando nullus omnino emergat, ſed ſpiritus affuſus adeo limpidus maneat, vt, ſi ſolo viſu explores, aquam puriſſimam eſſe iurares: aliquando autem tinctura tantum debilior et minus ſaturata prodeat.

§. VIII.

Nullam omnino coloris mutationem affuſo ſpiritui accidiſſe, in pharmacopolio Altorfino, ante non adeo multos annos, viſum eſt, quum cetera ſalibus ſaturatiſſimus eſſe experimentis cognoſceretur: de quo videatur *Obſeruatio CCXVI. Act. phyſico medic. Acad. N. C.* ab Exc. D. D. Schvlze communicata, qui idem mihi auctor ſuaſorque fuit vt pluribus inſtitutis experimentis in cauſam illam inquirerem, qua fiat vt ſpiritus aliquando nulla tinctura imbuatur, ſaepe debiliorem nanciſcatur. Aliis idem vel non multo diuerſum accidiſſe hinc colligo, quoniam cauere iubent ne ſpiritum affundamus a ſale tartari vel cineribus clauellatis abſtractum: quod eſt monitum laudati D. D. Rothii *l. c.* quodque ſollicite repetitur *p. 179.*, vbi tincturae metallorum praeparatio docetur. Puto autem eos propterea diſſuaſiſſe tartariſatum ſpiritum, quoniam tincturam minus bene extrahere illum cognouerunt. Sed his iterum contrarius eſt Le Mort, qui diſertis verbis iubet affundere ſpiritum vini cum ſale alcali rectificatum.

§. IX.

Quum igitur pro certo aſſumſiſſem, quod celeberrimus Dom. L. I. S. Carl *Ephemer. N. C. Centur. II. p. 410.* ſcripſit: *Tincturae ratio pendet a ſale alcali, quod quo acrius ſiccius exiſtit, et ſpiritus vini magis rectificatus oleoſus, eo citius tinctura bona, ſaturata colore et acrimonia, prodibit:* videbar mihi rationem, cur ſpiritus ſuper alcali rectificatus rubedine non tinge-

tingeretur, in eo deprehendere, quod oleoſae ſpiritus particulae ex parte cum alcali remaneant, non paucae autem alcalinis nuptae et cum eis in ſaponaceam quadantenus indolem migrantes, quaſi alas ſali addant, idque ſecum per alembicum euehant. De hac theoria fere ſecurus ad experiendum progrediebar, ſtatuebamque omni induſtria probe perpendere, quae acciderent antimonio cum ſale tartari fuſo, ſi ſpiritui vini per ſe dephlegmato infunderetur, et ſi ſpiritui tartariſato tractaretur. Quare ante omnia comparaui ſpiritum ex faecibus vini Rhenani ſublimatum optimae notae, eundemque ſine vllo additamento per ſe deſtillaui, vt omni aquoſitate carere eum crederem. Eiusdem ſpiritus aliam portionem ſuper ſalis alcalini ſicciſſimi ſufficienti quantitate, absque deſtillatione, pro more agitando rectificaui. Deſtillationem autem ſuper alcali ſeorſim inſtituere ſuperuacuum putabam, quum praeuiderem fore, vt ſi his duobus ſpiritibus ad tincturam parandam vterer, tantum ſpiritus tartariſati abſtrahi poſſet, quantum ad tertium experimentum abunde ſatis eſſet: praeſertim quum ex pharmacopoea Auguſtana meminiſſem abſtractum a tinctura tartari minus ſaturata ſpiritum ſuperfluum pro ſpiritu vini tartariſato inſeruire poſſe: eademque laudatiſſima pharmacopoea, vbi antimonii tincturam docet, compendii cauſa remittat ad tartari tincturam.

§. X.

Ita animatus ſalis alcalini decem vncias et antimonii quinque miſcui, et, vt decet, in ſcorias aurantii coloris diuturno fluxu, omnia redegi, effuſam maſſam, vt ſupra dictum eſt, comminui, duabusque phialis ad id aptis aequaliter diſtribui. Affudi alteri ſpiritum rectificatiſſimum per ſe paratum, alteri eum, quem via, ut loqui ſolemus, frigida ſuper alcali rectificaueram. Tradebam vtrumque vitrum, alembico commodo munitum, digeſtioni arena circumiecta et igne modico ſuppoſito. Tingebatur

tur vterque ſpiritus ſaturatiſſima rubedine, nec vllam diſcrepantiam vel coloris vel ſaporis licebat deprehendere. Confluxerat ex utroque alembico tantum ſpiritus tartariſati fragrantiſſimi, vt nouo experimento ſufficeret; quare, eadem ſeruata proportione, nouas ſcorias colliquando parabam, comminutisque hunc ſpiritum affundebam, certiſſime ſperans fore vt minime tinctum illum poſt digeſtionem intuerer. Sed ſpes decollabat mea, quum abſoluto labore tincturam inuenirem non quidem aeque, ac duae priores erant, ſaturatam, attamen aeque ſaturam ac optima, quae in officinis proſtat, ex repetita ſcilicet infuſione impetrata, eſſe poſſit.

§. XI.

Iam vero diffidere theoriae meae animum ſubibat, mentemque in omnes partes conuertere incipiebam, viſurus quid rei myſteriiue ſubeſſet, cur mihi ſpiritus tartariſatus colorem contraxiſſet, aliis non idem euenerit. Spiritus vini e faecibus deſtillati oleoſitatem in dubium reuocare non licebat: poſſe autem aliqua enchireſi oleum pro maxima parte ſeorſim colligi noueram: ſuſpicabar igitur factum forſan fuiſſe, vt oleo pauperior ſpiritus aſſumtus eſſet, isque pauxillo iſto ſub abſtractione a ſale alcalino magis fuerit orbatus: aut, ſi hoc non eſſet, fuiſſe ſpiritum frumenti adhibitum ſuper alcali rectificatum, qualem macriorem minusque oleoſum ſupponebam eſſe illo, qui a vino elicitur. Quum vero ad priorem ſuſpicionem vel confirmandam vel refutandam nihil reſcire liceret, vt in altero mihi ſatisfacerem, curabam in pharmaceutica officina Academiae huius, rectiſſime conſtituta, parari mihi ſpiritum frumenti repetita ſublimatione ſatis rectificatum, eundemque ſuper alcali demum abſtractum: hocque iam inſtructus antimonii binis vnciis, cum cinerum clauellatorum quatuor vnciis colliquatis, celerrime tum in puluerem comminutis, quantum eius ſatis videbatur infudi. Quum per noctem digeſtioni, impoſito alembico, ſimul com-

commiſſa ſtetiſſent, mane cognoſcebam omnem ſpiritum deſtillando in vas recipiens tranſiuiſſe: quare eundem maſſae reddere opus fuit, qui, debito calore adminiſtrato, colorem non intenſe rubicundum accipiebat, ſulphur autem non odore ſolum ſpirabat, ſed guſtui etiam imprimebat. Ex quo cognoſcebam nec frumenti ſpiritum, quando ab alcalino ſale abſtrahitur, oleoſa parte adeo priuari, vt non ſuperſint, quae cum alcalino-antimoniali maſſa connubium ineant.

§. XII.

Memor itaque veriſſimi axiomatis, minimam circumſtantiam rem variare, et praecipue chemicis in laboribus id euenire multis rerum documentis convictus; coepi amplius diſpicere omnia. Iterum conſului Exc. D. D. SCHVLZE, qui praeter ea, quae in obſeruatione laudata ſcripſerat, illud adhuc ſuppeditabat, quod ſpiritus iſte non tinctus viſus ſibi fuerit ſulphur multum olere: ſe vero, quod recens parata eſſet infuſio, illud non fuiſſe valde admiratum, quum alias idem vſu venire meminiſſet. Ex pharmacopoeo etiam, honeſto et ſuarum rerum ſatagente viro, ſciſcitabar, numquid ſuppeditare poſſet, ex quo emergendi anſam arriperem. Is vero ſe recte quidem facti meminiſſe affirmabat, et de cauſa ſubinde cogitaſſe, nihil autem ſibi in mentem venire, cui cauſam certo tribuat: ſtatim autem male ſe ominatum eſſe de tinctura impetranda affirmabat, quum videret maſſam, etſi ſatis diu fluentem, in colorem flauum non abire, ſed obſcuram rubedinem retinere. Huius vero phaenomeni ſe non accurate meminiſſe quidem Exc. D. D. SCHVLZE dicebat, fieri tamen potuiſſe, vt hoc ipſemet non attenderet, quum numquam antea tincturam hanc ex crudo antimonio, ſed ex regulo ſaepius parauiſſet. Addebat et hoc laudatus pharmacopoeus, ſe tunc eidem maſſae, ex qua ſpiritus tartariſatus nihil tincturae elicuerat, deinceps affudiſſe ſpiritum vini per ſe rectificatum, et

poſtea ſuper foeniculum abſtractum oleoſum, ſed nihil magis, quam priorem ſpiritum, hos extraxiſſe.

§. XIII.

Noua nunc inquiſitio neceſſaria videbatur. In antimonium culpam reiicere non licebat, tamquam non ſatis probum, et forte ſuperior ſpumoſa eius portio adſumta fuiſſet: quum et pharmacopoeus certo meminiſſet, ſe ſuis manibus optime ſtriatas portiones elegiſſe pro illa elaboratione, et obſcura rubedo potius ſulphuris abundantiam quam defectum indicaret. Supererat igitur de cineribus clauellatis diſpicere. Hos raro ſine ſalis medii, naturam tartari vitriolati habentis, notabili mixtura eſſe, a multis chemicis notatum et inculcatum memineram: vnos autem prae aliis magis illo abundare poſſe et ſolere ex cauſis ſatis notis colligere licebat. Certior itaque reddi cupiebam, an in eo latere cauſa poſſit. Supponebam igitur ſalis medii cum cineribus deliteſcentis culpa id factum eſſe, cuius cauſam ſcrutabar: experimentoque certior reddi omnino cupiebam: quare denuo antimonii duabus vnciis coniungebam cineres clauellatos, ita tamen vt horum tres tantum vncias, in quartae vero locum tartarum vitriolatum, aſſumerem. Maſſa reſultabat ſaturate fuſca, cui affuſus idem frumenti alcaliſatus ſpiritus admodum modicam tincturam, vix vino Rhenano parem, digeſtione extraxit: ſulphur autem eximie, magisque quam vllae praecedentes tincturae, olebat, acrimonia ſalina conſpicuus, quam affuſa acida haud eſſe modicam manifeſte comprobabant.

§. XIIII.

Etſi vero non illud omnino, quod quaerebam, aſſecutus eram, ſcilicet vt ſpiritus affuſus nullum omnino tincturae veſtigium referret, ſale tamen ſaturatus prodiret: ſtatui tamen, quum me plura magis neceſſaria vrgerent, acquieſcere tantiſper

in

in hoc experimento, ſpe fretus fore vt alia dies me, vel alium curioſius in haec inquiſiturum, doceat, quod haec dies abſcondit. Quare progreſſus ſum ad examen tincturae illius, quae antimonii tartariſata audit: experimentaque inſtitui, quibus conatus ſum aſſequi principia ipſius conſtituentia. Obſeruaui autem ſequentia potiſſimum phaenomena.

§. XV.

I. Quamprimum ſpiritus maſſae comminutae affuſus eſt, aliquantulum turbari et quaſi lacteſcere incipit: quod quidem aliquanto magis in tartariſato, quam ſincero ſpiritu vini per ſe alcoholiſato, manifeſtum fuit. Poſt aliquot horarum digeſtionem in balneo, quod vocant, arenoſo tinctus redditur, dum interea per alembicum exſtillat aliqua ipſius portio alcalino ſale impraegnata quidem, ſed tincturae omnino expers. *II.* Iam ſi ſpiritus tinctus, dum adhuc calet, effundatur, ſulphur vehementer olet: quamprimum vero refrixit, latera vitri et fundum cryſtallina quadam et ſubflava cruſta videbis obduci, iamque ſulphureum odorem longe minus perſentiſces. Si nitrum ad parandam maſſam, ſeu ſcorias ſuccineas, adſumſeris; quod fit, quando ex regulo tincturam conficimus, ſubinde conſpicies, refrigerata tinctura, cryſtallos pyramidales, quales nitri eſſe ſolent. *III.* Si eiusdem tincturae, iam refrigeratae, aequales portiones in duo vitra effundas, quorum alterum accurate clauſum maneat, alterum pro vſu quotidiano ſubinde aperiatur, indeque effundatur, videbis illud, quod plenum et accuratiſſime clauſum ſtetit, minus ſedimenti deponere, minus etiam lateribus affigere illo, quod identidem apertum et depletum fuit.

§. XVI.

IV. Si portionem tincturae in vitro aperto loco calido deponas, non multo interiecto tempore omnis ſpiritus auolat, in ſuperiori vaſis regione haerentibus guttulis quibusdam ex flauo

 ruben-

rubentibus, oleoſis, in fundo remanente lixiuio acerrimo etiam rubicundo. *V.* Id lixiuium ſi calore auctiori, vsque ad humiditatis conſumtionem, lente vrgeas, ſal apparet ſiccus, alcalinus, ex albo flaueſcens, minime reſpondens acrimoniae lixiuii certe ſumme cauſtici. *VI.* Hic ſal libero aeri, praeſertim humidiuſculo, expoſitus, promte liquatur, vt effundi poſſit, remanente reſinoſo-pingui, quod ſuperiori regioni adhaeret, ſeque, fugato iam ſpiritu, aquae non coniungit. Si vero eidem vitro infundas ſpiritum tartariſatum, (cum ſimplici periculum non feci) is promte illud imbibit, indeque tincturam rubicundam contrahit, ſed acrimoniae ſalinae omnino expertem, colore, ſapore et odore gratiſſimam, forte etiam nec virium bonarum expertem.

§. XVII.

His admodum ſimplicibus experimentis ſubiunxi ea, quae liquorum contrariorum inſtillatione aliquem doctrinae fructum promittere videbantur. *VII.* Vnciam itaque tincturae cum ſpiritu vini ſincero ante aliquot menſes paratae vitro commodo infudi, et ſucceſſiue addidi aliquot guttas olei vitrioli, quae absque vlla ſenſibili efferueſcentia, aut caloris excitatione, fundum petebant, ibique in grumos ſalinos abibant. Cum vero agitatione penitius ambos liquores permiſcerem, omnia ſimul turbabantur, ſed mox fundum petebat ſalina materia, clareque ſuperſtabat liquor pellucidus ſpirituoſus, quoad colorem ſuum ne minimum quidem mutatus, ſi non omnino magis intenſus. Difficile, vel plane impoſſibile videtur punctum ſaturationis, vt loqui ſolemus, hic inuenire, nam liquor ſuperſtans linguae acrimoniam alcalinam impertiebatur, etiam tunc quum guttulae eius in tincturam coeruleam laccae muſicae demiſſae illam in rubedinem mutarent, cumque portioni eius ſeorſim affunderem alcalinum ſal ſolutum, inde turbaretur. *VIII.* Idem cum tinctura recens parata, et quidem ſpiritu frumenti alcaliſato, vt dictum, adhi-

adhibito, tentaui. Verum hic nidor ſulfureus, admodum penetrans, nares ingrato odore feriebat, guttulae infuſae, vtpote graues, cum ſtridore fundum petebant, ibique in ambitu ſuo ſalina cruſta momento tegebantur, manente ſubtus conſpicuo oleo. Quo conſpecto oleum cum tinctura bacillo miſcebam, vnde calor excitabatur ſenſibilis, omniaque ſimul in coagulum abibant. Vbi ſalinum concretum noviter enatum fundum petere incipiebat, ſupernatabat liquor longe minus, quam antea, ſaturate rubens.

§. XVIII.

VIIII. Ille liquor rubicundus, qui poſt praecipitationem ſupernatat, admotum ignem promte concipit, et clara luculentaque flamma totus deflagrat, remanente in fundo ſale enixo fere ſicco, ſed in ſuperficie pene nigricante. Si vero liquorem ſupernatantem effundas et lento calore humiditatem abigas, concreſcunt efflореſcentiae cryſtallinae, magis tamen ſuperiorem vaſis regionem, quam fundum obſidentes: haeque ſuperiores efflореſcentiae nigricant; reliquum concretum ſalinum, etſi antea ſtudueris acidum omnino infringere, idque adſequutum te eſſe putaueris, poſtea exſiccatum deprehendes valde acidum: prorſus tamquam alcalinae particulae ſub blandiſſimo etiam calore fornacis iterum auolent. Identidem affudi exſiccatae portioni aliquantulum acerrimae tincturae, quantum ad leuem humectationem ſufficeret, qua exhalante iucunde aurantium colorem in ſuperficie ſicci ſalis obſeruaui. Vt vero intelligerem, vnde hic eſſet, aliquoties aqua pura affuſa reſolui eum et per chartam bibulam colaui, remanente in philtro leui quadam et brunna ſubſtantia, admodum exigua. Iterum exhalando ſiccatus ſal cryſtallinarum efflореſcentiarum pulcro ornatu vaſculum circumdat, quae tamen magis ſuperiorem ambitum quam fundum obſident.

§. XVIIII.

§. XVIIII.

X. Cum ſpiritu etiam vitrioli eadem experimenta, quae cum oleo, inſtitui facere: quoniam vero parum vel nihil diuerſum videbam, ipſeque, qui ad manus erat, ſpiritus non optimus videbatur, oleo potius inhaerere deinceps viſum eſt. *XI.* Aceto deſtillato infudi tincturae noſtrae non recentis modicam quantitatem, verum nec minima portio inde coagulabatur, tantum leuiter turbabatur, vt, loco priſtinae pelluciditatis, cereuiſiam albam non plane defaecatam aequaret. Calori temperato commiſſa mixtura, poſtquam humiditas exhalauit, concretum ſtriatum ſed pellucidum inſtar vernicis, in fundo reliquit. *XII.* Vinorum, qualia huc ex Franconia afferuntur, diuerſis generibus eandem noſtram tincturam, non recentiſſimam, ſaepius miſcui, quae hinc neutiquam turbata ſunt, nec vllo modo ingratum ſaporem aut odorem acceperunt: prorſus vt aliqui gratiam inde vino comparatam inſigniter laudarent. Sed longe minus gratiae ineſſe deprehendes illi tincturae, quae cum ſpiritu frumenti facta et recens eſt, ſi eandem iisdem vinis affundas: protinus enim ſulphureus nidor craſſe erumpens nares feriet.

§. XX.

His experimentis quum nondum in oculos incurreret, an aliquid metallici tinctura noſtra contineat, idque ante omnia inuenire, et quale ſit, diiudicare cuperem, aliqua in hunc finem molitus ſum, de quibus, vt ſucceſſerint, nunc exponam. *XIII.* Accepi igitur vnciam ſaturatiſſimae tincturae, eique in vitro apto miſcui aquae communis fontanae libram vnam, ſicque ad liberum aerem, loco tepido, repoſui. Per tres dies ita ſtabat haec mixtura, nulla in colore, qui cereuiſiae triticeae dilutioris aemulus erat, mutatio animaduerti poterat, nihil etiam ſecedebat in fundum. Superficiem autem ſenſim obducebat aliqua nubecula, qualis aquae incumbit a pinguitudine quadam admixta,

quando

quando mixturae vinculum diſſoluitur. Quum poſt plures dies nihil notatu dignum accideret, illaque cuticula potius diſpareret quam augeretur, coepi acidum vi rioli oleum inſtillare, quod fundum abſque ſtrepitu petebat. Quum ſexaginta guttas immiſiſſem, et omnia bacillo miſcerem, leuis aliqua albedo ſpumea ab aſcendentibus exiguis bullulis ſenſim exoriebatur, et poſt biduum magis turbida mixtura reddebatur, ad fundum ſecedentibus quibusdam moleculis ochrae flauedinem aemulantibus, quae, quum vitrum fornaci calidae impoſuiſſem, e fundo rurſum aſcendebant, et mediam regionem tenebant, donec, ſenſim exhalante omni humiditate, cum ſalina portione ſimul coibant. Liberare illam puluerulentam ſubſtantiam a ſalina, reſolutione et percolatione, ſtudebam: impetrabam etiam puluerem leuiſſimum, quem pro croco antimonii habebam, ſed quantitate nimis exigua, quam vt experimentis inſtituendis ſufficeret. Tentabam tamen, annon conflari ſuper carbonem poſſet in miculas regulinas, vt antimonio diaphoretico facile accidit: verum omnino exurebatur, videbarque mihi aliquid ſulfurei odoris inde percipere.

§. XXI.

Tali ratione voti mei nondum damnatus, alia via rem aggredi ſtatuebam, ſperabamque fore vt ex illo ſedimento, quod vitri lateribus et fundo tinctura haec apponit, felicius conſequerer, quod quaerebam. *XIIII.* Collegi igitur, vsque ad minimum puluiſculum, quicquid a me paratae diuerſae tincturae antimoniales depoſuerant, pharmacopoeum etiam rogaui, vt idem in ſuis vitris faceret, mihique illas faeces permitteret: in quo mihi promte annuit, ſimulque expoſuit ſe probe meminiſſe filium ſuum, artis pharmaceuticae ſtudioſum, aliquando experiendi cauſa aliquid huiusmodi pulueris, quod decem vel duodecim grana aequaret, aſſumſiſſe, indeque vomitum fuiſſe concitatum. Quicquid corraſeram, affuſa calida edulcorabam. Effluebat lixi-

 uium

uium ſatis ſaturatum alcalinum, rubedine tinctum; in filtro remanebat puluis gryſeus. *XV.* Lixiuium hoc addebam ſali ex affuſione olei vitrioli enato, de quo §. XVIII. dicebam, prius aqua diſſoluto. Illico exoriebatur magna efferueſcentia, cum ſpuma croceum puluerem agitante. Ceſſante effervescentia hac, quum turbatum a claro denuo ſepararem, valde tenuem crocum, non magna quidem copia, colligebam et experimentis vlterioribus tum gryſeum illum, tum hunc aurantium puluerem, deſtinabam. Liquor, qui effiuxerat, omnino nunc ſapiebat tartarum vitriolatum Mynſichtianum, colorem autem habebat rubicundum, qualis ipſius tincturae fuerat.

§. XXII.

XVI. Quum gryſeum puluerem ſuper carbone candelae flamma explorarem, pauxillo ſeui prius ſubactum, miculae regulinae mox apparebant, quamquam flammam haud diu perferebant: nam quum vrgerem illas, vt melius confluerent, breui difflari ſe omnino omnes enati globuli patiebantur, remanente interiecta quadam terrea ſcoria, de qua certo dicere nequeo, cuius fuerit indolis, quum ob materiae paucitatem experimenta inſtitui non poſſent. Eodem nunc modo alterum etiam puluerem aurantium explorabam, ſed nihil regulini emergebat, in auras vero emittebat ſulphureum odorem, flammamque concipiebat, breuem quidem, qua exſtincta terra quaedam fuſca remanebat.

§. XXIII.

Nihil nunc reſtabat, quam vt eadem experimenta cum illa valde conſimili noſtrae tinctura, quae tartari vocatur, inſtituerem. Enimuero non tam laboris fuga aut ſumtuum, quam temporis habenda ratio compendia quaerere iuſſit. Satis ergo habui experiri, quo ſe pacto ad oleum vitrioli illa haberet. Infudi igitur illi tincturae, ex pharmacopolio petitae, acidum hoc

oleum;

oleum; eadem emergebant, quae §. XVII. exp. 7. niſi quod ſuperſtans ſpiritus minus, quam ante praecipitationem, rubebat: quum flammam admouerem, totus conſumebatur: concretum ſalinum omnino ſimile illi reperiebam, quod ex antimonii tinctura acceperam.

§. XXIIII.

Quum ita proprio marte in principia noſtrae tincturae per varia experimenta inquiſiuiſſem, iamque meditarer ratiocinia inde elicienda, commode accidit, vt ex Patroni cuiusdam bibliotheca acciperem diu a me deſideratum ſupra laudati D. NIC. LEMERY *tractatum de Antimonio*, quem videre auebam, non ſolum ob cognitam auctoris huius fidem et dexteritatem, verum maxime ob illam cauſam, quoniam in *curſu chemico* ad experimenta ibi tradita prouocat. Auide igitur perlegi quaecunque ibi de noſtra tinctura habentur, obſeruauique illum paulo alium notaſſe euentum ſuorum experimentorum, cum acidis inſtitutorum, quamquam haud commemorat, quae acida aſſumſerit. Illud enim primo abſolute dictum, quod acida cum tinctura noſtra ſine ebullitione miſceantur, reſtringi debere videtur ad tincturam non recentem, ſed quae iam alcalini magnam partem depoſuit. Quod autem dicit antimonii tincturam omnem fere colorem amiſiſſe, poſt acidorum mixturam; illam vero tartari, omnem omnino perdidiſſe: vtrumque mihi non aeque, vt illi, euenit.

§. XXV.

Periculum nunc faciam virium in ediſſerendo, quidnam ſtatuendum ſit de principiis tincturam noſtram conſtituentibus. Prima et maxime vexata quaeſtio eſt, an iure vocetur tinctura antimonii? Scilicet an ſit extractum liquidum coloratum, ab antimonio praeciſe ſeparatum? quod nomen ſuum aeque tueri poſſit, ac tinctura aurantiorum corticum, florum roſarum, papa-

ueris erratici, tunicae, hyperici, et id genus aliae complures, de quibus nemo dubitat id omne, in quo a menſtruo ad extrahendum adhibito, tincturae differunt, ex illo ſeparatum eſſe, a quo nomen impoſitum gerunt. Lubens equidem fateor, difficillimam hic mihi inuentu veram reſponſionem videri.

§. XXVI.

Etſi enim ex ſedimento, quod tinctura noſtra primis diebus, immo horis, deponere incipit, viderim conflari miculas antimonii regulinas, adeoque nolim negare tantillum ſubſtantiae antimonialis in hanc tincturam recipi poſſe: facile tamen intelligo antimonialem hanc particulam corporalem, a ſalibus intra ſuos poros aliquantulum detentam, commercium tincturae tandem deſerere, ita vt corporale veſtigium eius vix amplius inueniatur in tali tinctura, quae aliquamdiu ſtetit et ſedimentum depoſuit. Deinde non video, qui poſſit regulina ſubſtantia ſpiritum vini aliquo colore inficere. Iam vero intelligo fore, qui mihi obiiciant, non ſolam eſſe regulinam in antimonio ſubſtantiam, ſed ipſi inhaerere ſulphuris plurimum, et hoc ſulphur antimonii illud eſſe, quod tincturam noſtrae medicinae largitur, et ſimul ſuas vires impertitur. Quare nunc videndum eſt, an ſaltem tinctura ſulphuris antimonii dici mereatur?

§. XXVII.

Haec certe ſententia plures habet patronos, eosque celeberrimos viros. Saepe laudatus Dom. Lemery tincturam antimonii tribuit eius ſulphuri a ſale tartari prius rarefacto, a ſpiritu vini deinceps ſoluto. Huic etiam aliqua ex parte accedit doctiſſimus Vir D. D. Christ. Ioan Langivs *in coll. chym. p. 651. not. i.* quando ait, ſpiritum vini *colorem tam ex ſalibus fixis, quam forſan ex ſulphureis particulis antimonii, aſſumere.* Itemque D. D. Io. Iac. Schmid. *in diſſert. inaugur. de*

de tincturis alcalinis Praeſide D. D. MANGOLDO, *Rintelii* 1710. habita, qui *pag.* 21. ſcribit: *de colore rubicundo tincturarum ipſarum reſpectiue idem dictum eſto: dependet enim a ſulphureis per ſal alcali in ſpiritu vini exaltatis particulis.* Contra vero nituntur non minus praeclari viri, et chemica peritia conſpicui. Illuſtris FRID. HOFFMANNVS in *obſeru. phyſico-chym. pag.* 280. de hac re mentem ſuam ita exponit: *Mirabile eſt, quod vini ſpiritus rectificatiſſimus non modo huius ſalis cauſtici inſignem copiam abripiat, ſed et rubicundum colorem et corroſiuum ſaporem acquirat: qui effectus identidem ſali huic igneo adſcribi debet.* Eandem ſententiam eſſe Dom. L. CARL apparet ex ſupra adductis ipſius verbis, magis autem ex integra obſeruatione illa, ex qua verba attuli; quippe qua omnino id agit, vt, excluſo ſulphure minerali quocunque, omnes eiusmodi tincturas alcalinas connubio ſalinarum cum oleoſis in ſpiritu vini particularum tribuat.

§. XXVIII.

Equidem ſulphur tincturam antimonii ſubire neutiquam diffit or, quum et in recenti odoris ac ſaporis indicio percipiatur, et in ſedimento ſoluto, acidis ſaturato, tandemque cryſtalliſato, maneat ſapor, (niſi hunc potius ſulphuri, quod oleum vitrioli, ad ſaturationem adhibitum, continet, tribuere debeo:) proinde tamen ſoli iſti ſulphuri coloris cauſam adſcribere vix poſſum. Nam et ſulphur euidenter ineſt multis liquoribus, qui proinde tamen non ſunt tincti: et tinctura rubicunda impetratur, vbi vel ſulphur nullum acceſſit, vel, ſi quod adfuit, ſollicite ſeparatum eſt. Manifeſto documento eſt ſal tartari, magna ignis tortura in alcalini puriſſimi naturam redactus, cum quo ſpiritus vini diu ſatis digeſtus, in tincturam aliquam rubram tranſit. Neque minus id eluceſcit in regulo antimoniali, vel ſimplici vel compoſito, quem, ſi ſulphur omne nondum depoſuiſſet in prima fuſione, neceſſe eſt illud dimittere repetitis cum nitro depuratio-

 nibus,

nibus, quibus ſcorias ſuccineas, pro paranda tinctura antimonii, comparamus. Et tamen ſpiritus vini affuſus hisce ſcoriis rubedinem haud profecto minorem acquirit, quam ſi antimonium omni ſuo ſulphure adhuc praegnans in hepar fuſum, calcinatum et digeſtioni cum ſpiritu expoſitum fuiſſet.

§. XXVIIII.

Adeoque ſulphur, quod antimonio ineſt, pro adaequata tincturae ſeu coloris cauſa aſſumere nondum audeo: praeſertim cum acciderit, vt ſupra repetito monitum eſt, vt ſpiritus vini maſſae antimoniali, ſulphure foetae, eoque alcalinis particulis reſoluto, ſalis copioſe multum, & ſulphur, odore teſte, extraxerit, colorem tamen omnino nullum adeptus. Si autem porro aliquis ipſas vires tincturae ſulphuri iſti tribuere velit: hunc prius declarare decebit, quale ſulphur antimonii intelligat, vtrum illud vulgaris aemulum, quod ſupra laudatus Exc. Fr. Hoffmannvs *c. l. pag. 271.* parare docet, a contagio regulinae ſubſtantiae immune, an iſtiusmodi, quod auratum vocare ſolemus, multum regulinae ſecum ferens, et iſtius potiſſimum viribus efficax: an prorſus ſublimioris indaginis aliquod, quale, ex chymicorum dogmatibus, corporum metallicorum pars ita conſtitutiua eſt, vt hac ablata priſtinam formam omnino amittant. Si priori ſenſu intelligit, non negauimus antea ſulphuris eiusmodi particulam tincturam noſtram ſubire: neque inefficacem fore eam exiſtimo: ſi altero malit, video quam pertinaciter regulina portio alcalinis rarefactae ſulphureae adhaereat, cumque iis etiam ſolui ſe aqueis patiatur, et filtrum vel centies penetret: contra vero non video quid impediat, cur non ſpiritum vini vna cum alcalino ſale, cui arcto connubio iunctum eſt, ex parte ſui tenuiſſima ſubeat, eidemque vires elargiatur. Si quis tertium ſignificatum in mente habet, illi me reſpondere non poſſe profiteor, quum tam profunde in chemiam inſinuare me non potuerim, vt ad haec arcana admitterer.

§. XXX.

§. XXX.

Dixi circa ſulphur antimonii, ſecundo ſignificatu acceptum, me haerere, an excludi illud a noſtra tinctura debeat et poſſit. Spiritus vini menſtruum eſt nondum ſatis exploratae indolis, in quo tamen chemici emunctae naris acidi quoddam praedominium agnouerunt, quodque facili negotio in naturam aceti reduci poſſe certiſſime ſcio. Acida autem, quin acidula ſpirituoſa, vt vinum, adaequatum ſunt menſtruum, quo cum recluſus per alcalia crocus metallorum vim ſuam ventriculum efficaciſſime ſubuertentem poſſit communicare. Quamdiu autem ſpiritus vini talis manet, qui flammam concipere poſſit, tamdiu praedominari in illo acidum manifeſtum eſſe puto, adeoque idoneum illum puto, qui vires antimonii maxime efficaces adſumat, in quantum ſubtiliſſima aciditas ipſius ſulphurea ab alcalino nondum eſt domita et ſuppreſſa, ipſaque ſumma tenuitas acidarum particularum patitur. Non autem perfecte domari illam aut ſupprimi ex eo manifeſtum puto, quod nondum mihi videre contigit ſpiritum vini, qui non flammam ſuſciperet: aeque vt nondum alcali vllum vidi, quod flamma admota ardeat. Quum vero inter omnes notum et ebuccinatum ſit, quantillum croco metallorum ſecedat, etſi magnam vini, tartari, vel ſucci cuiusdam acidi vegetabilis, partem vi ſua emetica imbuerit: tantum ſcilicet vt ad calculum reuocari, quia non ſentitur, non poſſit: facile cogitari poteſt, poſſe fieri, immo, auſim dicere, debere fieri, vt ſpiritus vini imbuatur ſimilibus particulis, quae efficaciam tincturae noſtrae, etſi non emeticam ſemper, tamen alius generis bonam et efficacem, reſoluentem ſcilicet et diaphoreticam largiantur.

§. XXXI.

Quod ſi vero aliquis virtutem illam, quam crocus antimonii vino vel acidis aliis largitur, ſulphuri tribuere nolit, aliique potius principio tribuere malit, cum eo nullum mihi erit diffi-

dium,

dium, qui me non ſatis percipere rem, nullo experimento, quod quidem nouerim, clare demonſtratam, iam antea non obſcure declaraui; quamquam probe noui virtutem emeticam cum vino comunicatam ſulphuri antimonii a plerisque adſcribi. Mihi itaque ſufficit ex argumentis a poſteriori, vt loqui ſolemus, deſumtis colligere, quod ſulphureae partes antimonii ab hac tinctura excludi non poſſint, nimirum illae efficaces, quas minerale hoc in idoneos liquores, ſenſibus quidem non percipiendas, ſed ab effectu ſatis comprobandas, demittit, iisdemque eos impraegnat.

§. XXXII.

Progredior nunc ad alterum, quod in noſtra tinctura deprehenditur, nimirum ſal alcali, reuera ſumme igneum et cauſticum, calcinatione illa cum antimonio, redditum. Vires eius ſumme efficaces ſi quis experiri velit, deguſtet lixiuium *experim. V.* laudatum, aut potius magis iam inſpiſſatum, vt modo extremam ariditatem nondum nactum ſit. Nam ſi omnino exhalet, quaſi momento perit plurimum igneae materiae, et ſal ſiccus iam minus adurit, reſolutus etiam ad liberum aerem notabili gradu debilius lixiuium praebet. Iam olim ſimile quid obſeruauit Ioan. Hevrnivs *method. ad prax. pag. m. 68.* vbi cauterium ſuum potentiale deſcribit, de quo ita notanter praecipit: *non tamdiu excoqui debet, vt liquor cunctus areſcat ac torreatur, nam ita et vis cauſtica, quae ſpiritibus implicita eſt, exhaurietur.* Hoc, quoniam curioſiori ſpeculatione dignum videtur, hoc loco omittere nolui.

§. XXXIII.

Salis huius cum oleoſis ſpiritus vini particulis combinationi coloris potiſſimam cauſam a doctiſſimis quibusdam viris tribui, ſupra propoſitum eſt, vbi ſimul cauſas, quae me addubitare etiam de hoc faciant, attigi. Sed quicquid tandem ſit de exemplo

plo contrario ſpiritus rectificatiſſimi, qui multum ſalis, nihil coloris, contraxerat: puto etiam illud difficultati accedere, quod ſpiritus ſuper alcali abſtractus, et identidem abſtractus, indeque alcalino ſale ad ſenſum imbutus, tamen coloris vllius veſtigium non habet; quum oleoſum eſſe ſpiritum, et alcalinis particulis imbutum, negare nullo modo poſſimus. Et hoc quidem ſal virtutum illarum egregiarum, quas tinctura haec poſſidet et exſerit, haud vltimam partem ſuſtinet. Credibile autem eſt, eum non ſolum eſſe tenerrimum et ſumme ſubtiliatum, verum etiam illo cum vini oleo, quod iniit, connubio in ſaponaceam indolem quadantenus mutatum, et ſic aptiorem redditum, qui humores noſtros intime ſubire poſſit. Eandem eſſe rationem exiſtimo, cur vino tinctura noſtra miſceatur, absque eo, vt turba vlla excitetur. Immo intimam hanc alcalinarum cum oleoſis coniunctionem non parum promoueri intendique temporis progreſſu exiſtimo, indeque euenire puto, quod tinctura noſtra, quando paucis ab elaboratione diebus primum ſedimentum ad latera et fundum depoſuit, in purum vitrum effuſa, inque eo per multos menſes quieſcens, absque commemoratu digna noui ſedimenti depoſitione manet, acrimoniam vero notabiliter imminuit. Ex quo non inutilem admonitionem, ad vſum tincturae pertinentem, deinceps eliciemus.

§. XXXIIII.

Progredimur ad vltimum tincturae noſtrae ingrediens maxime conſpicuum, ſpiritum ſcilicet, ſiue is a vino vel vini faecibus ſit elicitus, ſiue a frumento, per ſe ab omni phlegmate ſeparatus, vel ope ſalis alcalini. Nullum eſt dubium, quin huic ſpiritui nobiliſſimae inſint vires ſanguinem noſtrum expandendi, calorem eius intendendi, adeoque motum etiam promouendi: quod ſi debito tempore fiat, omnino ſanitatis noſtrae praeſidium optimum maximum cenſeri debet. Non male quondam Io.

Bapt. Zapata *mirabilium medico-chirurgic. cap. I.* ſpiritus vini, ſacharo iuſta proportione temperati, vſum depraedicauit, aurumque potabile pauperum inſcripſit, ſeu liquorem mirabilem, morti propinquos reſuſcitantem, vigoremque ſenibus ac conualeſcentibus reddentem. Sed de eo, vtpote omnibus notiſſima re, plura hic non addo. Illud tantum dico, quod experiendo quisque percipiet, longe eſſe gratiorem et odore et ſapore tincturam, quae cum genuino vini ſpiritu praeparata eſt, quam quae ſpiritum frumenti habet. Supra etiam *experim. VI.* indicaui modum, quo ſulphureo-oleoſas tincturae noſtrae partes ab ſalinis acribus ſeparare, et tincturam gratiſſimam parare licet, quam auſim magno apparatu quaeſitis et multum commendatis tincturis auri comparare, quod cuiusuis experientiae permitto.

§. XXXV.

Progredior tandem ad exponendum de vſu tincturae noſtrae medico, qui multiplex eſt, et a multis praeclariſſimis medicis multis encomiis effertur. Quantum a priori, vt loqui ſolemus, ex ingredientium natura et viribus iudicari poſſit, iam antea ſparſim attigimus: nunc paucis complectar. Ratione itaque ſpiritus vini virtutes habet calefaciendi et humores noſtros expandendi: quibus tantillum ſulphuris, quod ab antimonio acceſſit, ſuppetias ferre poterit. Atque hoc, credo equidem, intuitu auctores noſtri perhibent, tincturam noſtram eſſe cardiacam. Huic autem beneficio porro debetur omnium ſecretionum et excretionum auctior ſucceſſus, vt iam diaphoretica, diuretica, bechica, aliisque laudum titulis ornari mereatur. Sed eodem conſpirant ſalinae alcalinae portiones, quae acidum corrigendo et infringendo, deinde ab acidi vitio innatas humorum coagulationes, ſpiſſeſcentias et obſtructiones vel tollunt, vel ſaltem emendant, acidoque cum hoc alcalino in mediae naturae ſal abeunte aperitiuum deinceps et deterſiuum effectum exſerunt.

Denique

Denique antimoniali ſpeciali virtuti, quam ab hac tinctura excludi non debere contendimus, praecipue innititur vis potens obſtructa reſerandi, aperiendi, decubitus humorum lymphaticos diſcutiendi et diſpellendi, lymphaeque omnis generis vitia efficaciter corrigendi.

§. XXXVI.

Sed audiamus de noſtrae tincturae viribus praeclariſſimorum artis noſtrae antiſtitum teſtimonia. Illuſtris FR. HOFFMANNVS *obſeruat. phyſico-chym. Lib. III. obſ. 4. p.* 281. candidiſſimum hoc ponit: *Tinctura antimonii fortiter alcaliſata inter remedia primae claſſis praecipuum ſibi vindicat locum, quippe potenter humorum craſſitiem reſoluendo, et emunctoria, praeſertim id, quo ſerum vrinoſum euacuatur, ſtimulando, impurum ſalſum ſerum magna in copia e corpore exturbat: Vt hinc in affectibus rebellibus, tumoribus hydropicis, ſuppreſſione vrinae, et lue quoque venerea, non ſine inſigni fructu vſurpari poſſit.* Saepe laudatus Dom. LEMERY in *curſu pag.* 366. haec tradit: *Eſt ſudorifera et hyſterica. Excitat nauſeam, aut ſaltem per aluum blande purgat, ſi paulo maiori doſi exhibeatur. Inſeruire poteſt menſtruis mulierum ciendis, obſtructionibus reſerandis, melancholiae hypochondriacae emendandae et ſcabiei ſanandae: quin et varioloſis, febre maligna laborantibus, et ſcorbuticis, conuenit.* Idem auctor in *tractatu de antimonio pag.* 451. ſequentia poſuit: *Saepius ad medicum vſum hanc tincturam vocaui, et cognoui illam aptam eſſe ſudoribus expellendis. Viſa mihi fuit belle conuenire initiis variolarum, febribus etiam malignis, ſcorbuto, affectui melancholico et ſcabiei. Exhibeo pro doſi ſex ad viginti guttas: Sicque non niſi inſenſibili modo operatur: ſed ſi paulo fortiorem doſin obtuli, obſeruaui illam aliquibus nauſeam excitaſſe, aut blandam alui excretionem, quod ſulphuri antimoniato tribuendum eſt, quod*

non niſi debilem effectum, ſeu niſum, edere hic poteſt, quippe ſale tartari, cui immerſum eſt, corrigitur.

§. XXVII.

His conſona medicorum plura teſtimonia adderem, niſi breuitati ſtudere deceret. Iuuabit potius ad dicta illa vel illuſtranda vel ſupplenda ſpecialius nonnulla penſitare. Quod itaque attinet illam aſſertionem Lemerianam, quod viderit nauſeas a maiori doſi, et vltra XX. guttas adſcendente, non numquam excitari, aut aluum blande ſubduci, in eo haud contradicam fidae obſeruationi. Sed quod ipſemet ſaepe maiorem quantitatem, uſque ad 50. 60. guttas in vino vel infuſo theae adſumſi, aliosque ſimul plures idem facere viderim, abſque illo effectu vel nauſeae vel laxationis aluinae, haud ſane ſcio aliam diuerſi euentus rationem, quam quod vel corpora Gallorum emeticis antimonialibus facilius moueantur: vel quod Dom. Lemery adhibuit fortaſſe recentem tincturam, quae corporale antimonium nondum omne depoſuerat. Atque idem aliis etiam ſic eueniſſe colligo ex D. D. Chr. Ioan. Langii *colleg. chym. pag.* 651. *not. i.* vbi haec leguntur: *Sunt ex chymicis, qui hanc tincturam non citius in vſum vocare iubent, quam annuo temporis ſpacio emenſo: attamen non video, quamobrem in his adeo ſint ſcrupuloſi. Verum quidem eſt intra illud temporis ſpacium, vitri parietibus, vbi tinctura aſſeruatur, adhaereſcere ſulphur: ſed licet citius exhibeatur, damnum nullum exin metuendum: a ſpiritu vini ſiquidem facile emetica antimonii vis corrigitur et edulcoratur.*

§. XXXVIII.

Notatu autem digna mihi haec obſeruatio vel hoc nomine videtur, quod certiores nos reddit non omnino deſtitutam eſſe noſtram tincturam antimonialibus virtutibus, adeoque non abſolute verum eſſe, quod multi affirmare ſuſtinent, nullam eſſe diuerſa-

diuerſarum alcalinarum tincturarum differentiam. Deinde et illud inde iure elici videtur, eſſe cur medicus, tincturam antimonii praeſcripturus, requirat recensne illa parata ſit, an aetatem conſequuta: vt pro eo doſin iuſte determinet. Sic veriſſimum eſſe ſcio, quod Exc. D. D. Georg. Detharding *Obſerv. A. N. C. Centur. X. pag. 396.* afferit, verum, non ſerum anodynum eſſe in torminibus tenellorum ad conuulſiones increſcentibus, tincturam tartari acrem, vsque ad guttas ſex, lacte materno dilutam et exhibitam, idque ſe per frequentisſimas experientias nouiſſe. At vero non impune facturum exiſtimo, ſi quis, nihil intereſſe ratus inter tincturas alcalinas, antimonii tartariſatam, et quidem recens paratam, ſubſtituere vellet: quod forte in tali, quae vetuſtatem conſequuta eſt, minus reformidare liceret, praeſertim ſi doſi aliquantulum minuta tenerrimis offerretur.

§. XXXIX.

In venereis morbis efficacia tincturae noſtrae albo calculo ab omnibus notatur: et ſane ratio adſtipulatur, quae, ex matura conſideratione phaenomenorum practicorum, circa morbum hunc obuenientium, bene collegit vitium, quod lymphae, et humori proſtatarum, tum ipſi in veſiculis ſeminalibus contento, accidit, indolis eſſe acidae coagulantis: quum viſi ſint gonorrhoei, qui plane grumoſum, inſtar lactis caſeoſae et coagulatae partis, profluuium habuerunt. Et hoc quidem intuitu alcalinam noſtrae tincturae partem plurimum fructus polliceri facile intelligitur. Deinde vero etiam conuenit ratione antimonialis virtutis, inque eo longe ſuperat tartari tincturam, quod quidem cuiuis experimentum inſtituturo patebit. Luculentum fructum antiuenereum, quem antimoniata afferunt, nouiſſime comprobauit D. D. Klavnig *Obſeruat. A. N. C. Cent. 1. obſ. 60.* Sed vix ſola tinctura noſtra ſufficiet ad profundius ſolidis

 partibus

partibus innidulatum malum perfecte debellandum, niſi etiam fortiora adiungas, et praecipue hydrargyrum in ſubſidium voces. Sed in gonorrhoea operae pretium facit, ſi oleis diureticis et balſamicis iungas, illis praeſertim ex ſuccino et iunipero. Vix dari poteſt promtius depurans, corrigens et tandem etiam conſolidans, modo ea proportione, qua malum decreſcit, doſin minuas, tandemque tincturam ſolam aliquandiu adhibeas. Sunt qui celebrem illam tincturam antiuenereaam Heinsii non aliam, quam noſtram, fuiſſe exiſtimant: alii ipſum illa, quae *metallorum tinctura* dicitur, vſum perhibent, quarum tamen haud adeo magna erit diſcrepantia.

§. XXXX.

Longum eſſet, ſi ſingulos morbos chronicos percurrere vellem, et quantum in illis fructum a noſtra tinctura percipiamus, exponere: quare breuitatis ſtudio paucis multa dicam, ſcilicet fructum ſperari ab illa poſſe, vbicunque morbus ab humorum ſpiſſitudine, et ab hac orta viſcerum colatoriorumque infarctu, obſtipationeque pendet: ſed adiuuari operationem neceſſario diluentium ſubſidio debere, quoniam ſine his non valet ſpei ſatisfacere: hoc autem adiuta tandem difficillimos nodos diſſoluit, expedit et ſanitatem reddit. In quo etiam felicius progrediemur, ſi commode adiectis aliis, ad ſcopum facientibus, ſimul pugnemus. Sic in viſcerum hypochondriacorum et vterinis vitiis tincturae rhabarbari vtiliſſime iungitur, in catarrhalibus eſſentia ſuccini, in viſcerum atonia, indeque pendente humorum inaequali diſtributione, volatile aliquod iungatur, vt ſpiritus C. C. vnde emergit Illuſtri Stahlio tantopere laudata, et merito laudanda, mixtura tonica. In eandem rem Illuſtris Frid. Hoffmannvs *obſ. phyſ. chym. p. 281.* ita ſcribit: *Commodiſſime etiam miſcetur haec tinctura cum ſale volatili v. g. ſalis ammoniaci, vel ſpirit. C. C. volatili, item liquore noſtro anody-*

no minerali, adiectis aliquot guttulis olei aromatici, vt eſt oleum ligni ſaſſafras, nuciſtae, de cedro vel carui: habemus ſic medicamentum antiſpasmodicum praeſtantiſſimae virtutis, et quod materiam flatuum matricem diſcutit atque reſoluit.

§. XXXXI.

Vidimus ſupra hanc tincturam a quibusdam etiam diſerte commendari ad febres malignas. Enimuero hoc altioris indaginis mihi videtur, poſtquam ex celeberrimi D. D. HERMANNI BOERHAAVE *inſtitutionibus et experimentis chemiae* pluribus locis edoctus ſum alcalina et ſaponacea grauiter prohiberi in omni morbo, vbi adeſt diatheſis inflammatoria. Quumque praeter generalem illam commendationem nullam ſpecialem obſeruationem adduci videam, quibus tincturae noſtrae efficacia ad febres malignas comprobetur: nec ratio ſuadeat, vllum fructum a magis diſſoluentibus ſperare, vbi iam per ſe omnia ad diſſolutoriam corruptionem tendunt: omnino conſultius fuerit noſtra tinctura tali rerum ſtatu abſtinere, quam temerario experimento in periculum aegrotos, nosmet autem in famae et conſcientiae labem praecipites dare.

§. XXXXII.

Tandem vt de iuſta doſi noſtrae tincturae aliquid addam, neceſſe videtur. LE MORT in *collectaneis chym. Leidenſ. p. 47.* admodum eſt parcus, dum a guttis quinque ad ſcrupulum dimidium progredi iubet. Paulo liberaliores ſunt, qui ad viginti vsque adſcendere permittunt. Veruntamen longe audaciores ſunt quidam noſtro tempore, qui non verentur ad quinquaginta vel ſexaginta aſcendere, modo ſufficienti vehiculo diluatur, alias os et fauces excoriatura, forte etiam ipſum ventriculum arroſura. Quid apud Belgas et Anglos aliqui faciant qui tincturam metallorum, noſtra adhuc acriorem, dicta iam

quan-

quantitate, cum aquae calcis viuae aliquot vnciis, repetitis per diem vicibus, exhibent, ex *Hiſtoria Academiae Scientiarum Pariſienſis* notum eſt: ſed et in Gallia hanc curationem infauſtos effectus prodidiſſe, ex ſupra laudati D D. Boerhaave chemia *pag. 209.* intelligo, qui tamen haud obſcure indicat ſe in borealibus regionibus illam non improbare. Quod vt ad timiditatem eximendam adduxi, ita tutiſſimum exiſtimo media via incedere, vt nec audacia cuiquam noceamus, nec inepta timiditate morbos, vecte potente opus habentes, trahamus, tandemque omnino ſine optato fructu diſcedentes remedio vtiliſſimo detrahamus. Pedem hic figimus et praeſenti exercitationi imponimus

FINEM.

T*Incturam Stibii*, quam *Tartarus* ipſe recludit,
Horrendum nomen! cur *Tibi, Chare,* placet
Eligere, vnde dares ſpecimen clarum ſtudiorum,
Quae nunc ad metam ſors properare iubet?
Nimirum ex illa *Tinctura* mox *Tibi* ſurget
Purpura Doctoris, quam meret iſte labor.

Nobiliſſ. Dn. Candidato
boni ominis et ſincerae gratulationis cauſa l. mq. f.

IO. IAC. BAIERVS, D.
et Prof. Med. Primarius.

NOBI-

NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

CHRISTOPHORO ALBERTO MAIERO

IOANNES IACOBVS IANTKE

MED. DOCTOR

SERENISSIMORVM DVCVM SOLISBACO-PALATINORVM CONSILIARIVS ET ARCHIATER, THEORIAE PROF. PVBL. ET H. T. DECANVS

S. P. D.

Q*Uo glorioſius eſt Veſtigia Majorum legere, eorumque Gloriam oblivioni eripere ac reſuſcitare: eo magis laudandus es*, Nobil. Dne. Candidate, *cum non ſolum gradibus B. Avi TVI* Sigismvndi Maieri, *Phyſici quodam apud Memmingenſes celebratiſſimi, inſiſtis, Famamque Ejus ab Oblivione vindicas, ſed inſimul quoque Memoriam*

E *B. Pa-*

B. Parentis TVI renovare ſtudes. Optime autem hoc praeſtas quando poſt laudabile in Arte Pharmaceutica, cui addiſcendae per plures annos operam dediſti & praefuiſti, poſitum fundamentum, tandem ſtudio Medico totum TE conſecraſti. Etenim ab eo tempore, quo hanc ingreſſus es Academiam, indefeſſe, (quod ſerio de Te teſtari poſſumus,) ſtudia Tua pertractaſti, laudabilique ordine perfeciſti, ut etiam in conſuetis Examinibus aſſenſum noſtrum non modo ſis promeritus, verum etiam eum publice Te eſſe reportaturum, certus confidam. Maximam enim hanc ſpem facit elegans illud Thema, quod Tibi elaborandum et defendendum propoſuiſti. Gratulor hoſce laudabiles Tuos Profectus; ex his enim omnes cognoſcent genuinum Te fuiſſe Artis Medicae alumnum, dignumque nunc Hygeae filium. Perge in hoc laudabili opere induſtriaque nobis oſtenſa, nec vnquam ab ea deſiſte: ſic enim ſpero confidoque fore, ut Majoribus Tuis ſis decori, aegrotantibus optatum ſolatium, morborumque ſtrenuus domitor. Vale. Scrib. Altdorffii d. XVI. *Martii A. O. R.* cIↄIↄccXXVIII.

NOBI-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DOM. CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE M. D. ET PR. P.

GAudeo mihi TIBIque gratulor. TIBI quidem quod ſtudium medicae diſciplinae, cui apud nos per aliquot annos operam indefeſſo ſtudio dediſti, ad optatum finem deduxiſti, et ſtadio, quod cum laude decurriſti, ſtrenue abſoluto metam hodierno die feliciter contigiſti. Mihi autem, quod dixi, laetor, quoniam errorem meum, me ipſo hortante et inſtigante, crebrioribus experimentis inſtitutis, detexiſti, vt hoc ſaltem certum nunc teneam illius euentus, a me ſpiritui tartariſato tributi, cauſam in eo non latuiſſe: quamquam omnino in quo ea lateat, ambo iam ex aequo ignorare videmur. Equidem operam dabo, omnemque, vt prouerbio dicimus, lapidem mouebo, vt tandem, quid rei ſubfuerit, identidem tentando experiendoque, detegam. TVVM autem erit ab eadem inueſtigatione minime deſiſtere, ſed in

 com-

commune operam conferre. Habebis me candidum diligentiae et peritiae TVAE praeconem, ſi palmam in medio adhuc poſitam praeripueris. Minime enim is ſum, quem vel pudeat errorem agnoſcere et emendare, vel pigeat profiteri, per quem profecerim: quin potius eximie laetor, ſi amicis et auditoribus meis plus vltra progrediendi occaſionem me dediſſe, animorumque obſtetricem egiſſe, cognoſco. I nunc in patriam felicibus auibus, et, quod ſpero, opto et auguror, feliciter imple: ita fiet, vt Aſclepiadeae artis gloria in TE non minus, quam in auis omni laude celebribus, refulgeat. Scribebam Altorfii a. d. XVI. Martii cIↃ IↃcc XXVIII.

Sey ſtets beglückt / geſund / der Krancken Zuverſicht /
Des Vatterlandes Zier. Mehr wünſch' ich diß-mahl nicht.
Vielleicht der Himmel ſieht des Herzens guten Willen /
Und wird vielmehr / als ich nur wünſch und denk / erfüllen.

Dem Herrn Licent. ſeine Ergebenheit zu bezeugen ſetzte dieſes

G. F. Deinlein / D.

Du

Du haſt drey Welt-bekandte Reiche mit unverdroßnem Fleiß betracht/
und DICH durch embſiges Studiren mit ſolchem Ruhm bekandt gemacht/
daß ſich Hygea ſelbſt entſchlieſt vor DICH auf einen Lohn zu dencken/
und DIR mit ihrer eignen Hand den Samten Doctor-Huth zu ſchencken.

L. DE GRVNDHERR,
in Altenthann et Weyerhaus.

JUſta Tibi tandem decernit proemia Phoebus,
Tempora dum cingunt laurea ſerta Tua.
Gratulor hisce Tuis, laetatus, honoribus, illos
Nominis excipiant maxima fama, precor.

Sic Praenobiliſſimo DN. CANDIDATO,
Commenſali Amicoque ſuo ſuauiſſimo,
gratulatur

G. L. HVTH, Opp.

ACcipe, MI FAVTOR, ſinceri pignus Amici,
Accipe, quae verus ſcribere juſſit Amor.
Non equidem pulcros Conatus Laudibus orno,
Non venit ex Fama gloria vera vaga.
Pagina ſat edocet, magnae Laudesque Cathedrae,
Quam bene TE docuit docta Minerua probant.
Hinc almae egregium cum TV ſis Germen Hygeae.
Arbitrio Phoebi proemia multa feres.

Quid?

Quid? quod et aſſiduo majora brabea ſequentur,
Tempora mox cinget purpura pulcra TVA.

Hisce
Mentem amiciſſimam
erga Nobiliſſimum atque Doctiſſimum
DN. CANDIDATVM,
feſtinante licet calamo,
ex intimo tamen pectoris receſſu exprimere,
ipſique animitus applaudere voluit
Opponens
IOH. FRIDER. GLASER,
Med. Stud. Henneb. Waſung.

MEin Hoffnungs-voller Wunſch und treues Prophezeyn
trifft heute / Wercher Freund / mit großen Freuden ein;
Denn jeder ſiehet DICH des Fleißes Lohn erlangen/
und / wie DU es verdient / mit Samt und Purpur prangen.

Hiemit wollte ſeinem
Hochzuehrendem Freunde
hertzlich gratuliren
G. V. SCHMIDT,
Opp.